

1979-08-22 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Bene Novimus’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

BENE NOVIMUS

**TEMPLUM PAROECIALE «MADONNA DI CARAVAGGIO»
BEATAE MARIAE VIRGINI IN URBE MEDIOLANO DICATUM
AD GRADUM ET DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Bene novimus templum Beatae Mariae Virginis a Caravaggio sacrum, quod Mediolani exstat et paroeciae eodem nomine appellatae est proprium, magnae utilitati esse ad frequentium Christifidelium pietatem alendam servandam prosperandam. Hanc praesertim ob causam in id templum, quod etiam constat esse pretiosum artis musivae documentum, merito oportet peculiaris intendatur consideratio necnon ei maior tribuatur honos. Quod ergo ad Nos pertinet, re libenter perpensa, illis existimavimus assentiendum precibus, quibus nuper Venerabilis Frater Ioannes S.R.E. Card. Colombo, Mediolanensis Archiepiscopus, suo ipsius suorumque sacerdotum et fidelium nomine petiit, ut ipsum templum titulo Basilicae Minoris decoraretur. Nos igitur, quibus magnopere cordi est venerationem in Christi Matrem inter Populum Dei excitare et magis etiam corroborare, sententiam Sacrae Congregationis pro Cultu Divino ratam habentes, de Apostolica potestate Nostra per has Litteras perpetuumque in modum templum illud Mediolanense, quod diximus, Beatae Mariae Virginis «Madonna di Caravaggio» nuncupatae sacrum, ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus eunctisque iuribus insignimus atque liturgicis concessionibus, quae omnibus huius ordinis templis congruent; iis tamen servatis, quae statuta sunt Decreto «de titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLYVIII evulgato. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Augusti, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a Publicis Ecclesiae Negotiis